

TRACTATUS II.
DE CONSCIENTIA.

CAPUT I.

NOTIO ET DIVISIO CONSCIENTIAE.

45. DEFINITIO. Multiplici sensu vox conscientiae adhiberi solet. In acceptione sua maxime propria et in Theologia morali receptissima, designat dictamen rationis seu iudicium de liceitate vel illiceitate instantis meae operationis. Haec conscientia a multis dicitur *antecedens* ut discernatur a *consequente*, quae consistit in iudicio practico quo factum meum praeteritum approbo vel improbo tamquam honestum vel inhonestum. Si approbo, dicitur testimonium conscientiae; si improbo, remorsus seu vermis conscientiae. Hoc signum est, nullatenus tamen infallibile, bonitatis vel malitiae actus praeteriti.

Ad formandam conscientiam antecedentem concurrunt quatuor: lex seu regula remota, operatio mea determinate instans, ratio utramque comparans, conclusio quae est ipsa conscientia, ex. gr. "Haec actio mihi est illicita." Non consistit igitur in habitu, quo sensu minus proprio conscientia saepe adhibetur, sed in *actu* intellectus.

Distinguenda est conscientia a *synderesi*, seu, ut alii scribunt, *synteresi* (*συντήρησις* a *συντηρέω*, contemplor). Haec est "quidam habitus naturalis primorum principiorum operabilium, quae sunt naturalia principia juris naturalis" (S. Th. de Verit. q. 16. a. 1) et praebet principia generalia quae per conscientiam ad particulares actiones applicantur.

46. DIVISIO. Conscientia dividitur praecipue:

1° Ratione *firmitatis assensus*, in certam, dubiam, probabilem. Haec summi momenti divisio est, siquidem potissimum a firmitate assensus pendet influxus conscientiae in actus moralitatem.

2° Ratione *normae objectivae*, in rectam vel erroneam, prout dictat id quod est verum vel falsum.

3° Ratione *motivorum* quibus innititur, in rectam seu justam, scrupulosam et laxam. De duabus posterioribus dicemus cap. IV et V.

4° Ratione *obligationis* quam imponit, in imperantem, vetantem, consulentem, permittentem. Harum appellationum sensus obvius est.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA CERTA.

47. DEFINITIO. Conscientia *certa* est quando dictamen practicum rationis gaudet certitudine saltem morali seu quae excludat prudentem errandi formidinem. Error autem cujus prudens formido excludenda est non versatur circa rei veritatem, sed circa liceitatem operationis hic et nunc ponendae; speculativum igitur dubium cum conscientia certa componi potest.

Fundamentum hujus morales certitudinis pro varia materia varium esse potest. Interdum enim, in rebus etiam summi momenti, ad moralem certitudinem pertingere possum per meram praesumptionem. Sic certus sum de validitate baptismi vel ordinationis meae, quia praesumo debitam intentionem adfuisse in eo qui me baptizavit vel ordinavit. Talis praesumptio revera nititur solidissimo fundamento. Nam nullus homo sanae mentis vellet grave nocumentum proximo inferre omissione quae ipsi nullum spirituale vel corporale commodum procurare possel. Nec potuit Deus velle ut in rebus etiam summi momenti perfectiorem certitudinem quaeramus: siquidem haec vel nullatenus vel non nisi aegerime haberi posset, ac proinde lex quaerendi majorem certitudinem esset physice vel moraliter impossibilis, qualis a sapiente legislatore ferri nequit. (n. 83)

48. PRINCIPIA. I. Conscientia certa, sive recta sive erronea sit, semper sequenda est ubi quidquam praecipit vel vetat; semper licet eam sequi, ubi quidquam consulit vel permittit.

Ratio est, quod conscientia recta est regula proxima voluntatis per quam homini applicatur summa lex actuum humanorum, scil. lex divina et aeterna; conscientia vero erronea, dummodo sit certa, eadem prorsus ratione voluntatem Dei homini proponit ac si recta esset. Apte comparatur status conscientiae conditioni subditi qui regis sui voluntatem unice per praeconem cognoscat. Sicut subditus implere debet praeceptum quod per praeconem intimatur, sive is verum dicit, sive falsum, ita homo sequi debet dictamen conscientiae, etiam errantis, quando nullam

habet rationem prudenter dubitandi num haec sit Dei voluntas. Cfr. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 2. Ideo, quod ad actum *praesentem* pertinet, eodem modo ligat conscientia recta et erronea. Sic peccaret non mentiendo is cui conscientia erronea cum certitudine morali dictaret mentiendum esse, ex. gr. ut proximum a gravi malo liberaret. Cfr. Rom. XIV, 23 : " Omne autem quod non est ex fide, peccatum est, "

II. Peccatum agentis contra conscientiam certam illius est speciei quam mens apprehendit. Nam objectum tribuit actui speciem prout hic et nunc ab intellectu proponitur. Sic occidens hominem quem falso putat esse presbyterum aequae reus est, in foro conscientiae, sacrilegii ac si reapse presbyterum occidisset.

III. Si conscientia certa erronea oritur ex ignorantia invincibili, nullus omnino aderit reatus, si hanc sequimur : neque in causa hujus erroris, cum supponatur inculpabilis, neque in actu secuto, ut liquet e Princ. I. Ita nullatenus peccat qui, licet moralem diligentiam adhibuerit, ignorat tali die vigere abstinentiam et carnes comedit.

49. IV. Si conscientia erronea oritur ex ignorantia vincibili, duplex fieri potest hypothesis : vel homo, dum acturus est, nullatenus advertit errorem suum, ex. gr. confessarius qui olim culpabili neglegentia studium omisit ; vel ignorantiam erroremve suum saltem aliquatenus advertit.

In priore casu, tenetur ad hanc conscientiam sequendam, si vetat vel praecipit ; licet eam sequi, si consulit vel permittit ; culpa tamen adest in causa. Exemplum habes in eo qui, neglecta instructionis religiosae cura, existimaret duellum esse quandoque licitum ad famam servandam.

Ratio est, quod nemo ad impossibile tenetur ; quando autem nullatenus ignorantiam meam suspicor, eam deponere nequeo ideoque hic et nunc aequiparanda est ignorantiae invincibili. Culpa autem quae e voluntaria causa oritur semper aderit habitu, nisi quis sincere paenitens eam retractaverit et sufficientem diligentiam adhibuerit ad ignorantiam depellendam. Gravitati hujus reatus in causa applica quae diximus de ignorantia invincibili n. 20. Merito notat Ball. P. (n. 39) : " Nec tamen, quaelibet aut qualiscumque praevio inducit obligationem tollendi ignorantiam ad mala quaequam cavenda : quippe mala quaequam, licet possibilia, quandoque imprudenter timerentur... Ita, v. gr. qui noctu iter facit non tenetur praemittere aliquos qui inspiciant an aliquis infans aut morbo correptus aut vulneratus forte in via jaceat ac possit equorum pedibus aut curriculi rotis conteri. "

In posteriore casu, idem manet reatus in causa. Si vero spectatur actus hic et nunc ponendus in seipso, ejus reatus dijudicandus est e

principiis mox afferendis de conscientia dubia : qui enim aliquatenus advertit ignorantiam vel errorem suum, agit cum conscientia dubia.

50. Secundum haec principia, explicandum est quod Ball. P. (IV. Resp. 3) cum Busembaum aliisque multis statuit : " Si sit conscientia culpabiliter erronea, judicans ex ignorantia vincibili aliquid prohibitum esse aut praeceptum, quod non est, peccas et si contra eam et si secundum eam opereris ; gravius tamen (ceteris paribus) si contra. " Sensus est, in utroque casu adesse peccatum in causa, quod supponitur nondum retractatum et emendatum ; si quis agit secundum hujusmodi conscientiam, hic et nunc delinquit ideoque habebit tantum reatum praecedentis peccati in causa ; si quis vero contra hanc conscientiam agit, huic peccato addit reatum actionis positae contra conscientiae dictamen. Exemplum ultimi casus habes in confessario qui, ex ignorantia graviter culpabili, judicat faciendam esse restitutionem quae facienda non est, sed eam, ob respectum humanum, imponere non audet.

Probabilius ejusdem speciei est peccatum ex erronea conscientia admissum ac si e recta commissum esset. Ideo si quis Missam omisit eo die quo ex errore putabat illius auditionem praecipere, satisfacit se accusando quod Sacrum audire omisit. (Lugo, de Paenit. disp. 16. n. 499) Confessarii tamen est, ubi scit vel suspicatur aliquem ex erronea conscientia peccasse, illum interrogare num reapse existimaverit se graviter delinquere, quando ita egerit, et noxiam ignorantiam depellere.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

51. DEFINITIO. Conscientia *dubia*, sensu stricto, est suspensio assensus circa instantis meae operationis liceitatem. In hoc statu mentis non fertur judicium practicum nisi de insufficientia rationum ad sententiam pro liceitate vel contra liceitatem ferendam.

Dubium, sensu stricto, differt a suspitione, quae est suspensio iudicii cum inclinatione in unam partem, et ab opinione, quae est adhaesio mentis uni parti cum prudenti formidine oppositae. Hi tamen status mentis sub dubio late sumpto comprehenduntur, quia etiam in iis persistit prudens errandi formido ideoque plenus assensus denegatur. (1)

(1) A multis AA. praesertim aequiprobabilistis crebro usurpatur divisio dubii in *strictum* et *latum*. Strictum vocant quando ex utraque parte negativum est

52. DIVISIO. Dubium dividitur :

1^o In *negativum* et *positivum*. Haec divisio varie a variis AA. intellegitur. Nobis dubium erit positivum quando adest ratio gravis assentiendi, relinquens tamen prudentem formidinem oppositi : unde idem erit ac probabilitas ; negativum vero vocabitur quando nulla vel non nisi levis ratio erit assentiendi, ita ut fere conveniat cum ignorantia. Patet dubium positivum potius referri ad opinionem quam ad dubium proprie dictum.

2^o In *speculativum* et *practicum*. Speculativum dicitur quoties versatur circa veritates universales vel etiam circa actionem omnino concretam et practicam, si non agatur de actione hic et nunc a me exercenda, ex. gr. si quaeram num liceat pingere vel venari die Dominica. Practicum erit quando is qui acturus est dubius haeret de honestate actionis suae, ex. gr. si quaerit a se num hac die Dominica liceat sibi venari. Distinctio igitur non desumitur e duplici veritatum specie, sed e duplici modo quo quis se habere potest circa veritates practicas.

3^o In dubium *juris* et dubium *facti*. Prius illud est quod immediate versatur circa legis existentiam vel obligationem, ex. gr. si dubitatur num valeat testamentum formis legalibus destitutum. Posterius versatur circa aliquam rem particularem, ex. gr. si dubitatur num hoc testamentum formis legalibus careat.

Eodem fere sensu divisiones illae applicantur conscientiae quae dicitur positive vel negative, speculative vel practice dubia, etc.

53. PRINCIPIA I. Numquam licet agere cum conscientia practice dubia ; qui autem sic agit, peccatum admittit ejusdem speciei tum theologicae, tum moralis cujus est peccatum de quo dubitat.

Ratio prioris partis haec est. Qui habet conscientiam dubiam scit se in legis ignorantia versari. Jamvero quisquis id novit, tenetur, antequam agat, de lege inquirere, et reus est si, cum possit, ignorantiam depellere negligit. Quicumque enim ad leges servandas obligatur, simul etiam ad eas cognoscendas atque adeo inquirendas tenetur.

Ratio posterioris partis : qui ita agit, praevidet ex ignorantia sua adesse periculum ne *talia mala in individuo* sequantur, ac, sciens

vel ex utraque positivum, sed rationibus fere aequalibus ita ut mens totaliter suspensa maneat inter judicia contraria ; latum, quando pro una parte tantum adest motivum grave, vel si pro una adest motivum certo gravius quam pro altera, ita ut mens uni parti adhaereat. Cfr. Marc. Theol. Mor. I, n. 74 seqq. Nos aliter has voces intellegimus, ut ex h. l. patet, neque admittimus dubium fore necessario strictum quando utrimque affulgent argumenta probabilia, cum voluntas ob varias rationes, puta commodum ex alterutra sententia obventurum, saltem indirecte intellectum movere possit ut alterutri assentiat.

obligationem suam idcirco depellendi ignorantiam, nihilominus culpabiliter illud periculum subit. Reus est igitur hujus *specialis* violationis cui se temere exponit. Nec minuitur ejus culpa etiamsi reapse illa violatio non sequatur. Exemplo sit medicus qui remedium praebet aegroto, dubitans num forte venenum letale praebet, quamvis reapse salutarem medicinam tradat : is malitiam homicidii contraheret. Si quis ad nullam speciem determinatam attenderet, peccatum esset inoboedientiae, cum respueretur voluntas Dei cognita.

II. Qui in dubio practico versatur tenetur ad illud deponendum antequam agat. Hoc tamen varia ratione fit pro dubii qualitate. Si negativum est, nulla alia inquisitione facta, contemni potest ; si vero positivum, deponendum est inquirendo rationem aliquam vel intrinsecam vel extrinsecam. Qua de re fusius dicitur ubi de Probabilismo.

Manifestum est per se licitum esse etiam abstinere ab actione. Hoc sensu intelligendum axioma : " In dubio pars tutior est sequenda. "

III. Si quis sibi videtur constitutus inter duo, quorum alterum est necessario faciendum, et utrimque peccatum timet, eligere debet id quod ipsi minus malum videtur vel, si utrumque aequae grave apparet, non peccabit alterutrum eligendo.

Supponitur talis necessitas agendi ut nequeant alia media adhiberi ad dubium istud solvendum, qualia forent aliorum consilia, lectio librorum de casibus agentium, etc. Exemplum habes in confessario qui timet ne, absolutionem concedendo, sacramentum indigno ministret, vel eam negando, poenitentem a sacramentorum usu penitus removeat.

Manifesta est ratio ob quam alterutrum eligendo non peccat. Nam nemo peccat invitus vel ad impossibile tenetur ; hic autem supponuntur omnia media exhausta ut malum verum vel apparens vitet. Quodsi quis se negligentia sua in tales angustias conjecerit, ut puta, in exemplo dato, confessarius qui theologiae moralis studium neglexerit, actio ejus in se quidem erit honesta, sed culpabilis in causa.

54. QUAER. num graviter peccet ille qui novit quidem se male agere, sed non attendit utrum peccatum grave an leve admittat.

RESP. Duplici ratione haec quaestio intellegi potest : de re in se spectata et de judicio quod alius, praesertim confessarius, de reatu talis actionis ferre debeat.

Si priore sensu ponitur, respondendum : ad peccatum formaliter grave semper requiri cognitionem gravitatis, saltem confusam. Quare, si non habetur verum dubium vel suspicio de malae actionis gravitate, non

erit nisi peccatum leve. Haec derivantur e Princ. I. (n. 53) Cavendum tamen ne tamquam serium dubium habeatur inanis quaedam phantasiae apprehensio, qualis in scrupulosis crebro occurrit.

Si posteriore sensu accipitur, imprimis patet quaestionem hanc aegerrime solvi posse: pendet enim solutio a natura actus interni de quo is qui peccavit plerumque nihil clari testabitur. Insuper notandum confessario talem quaestionem concretam minime solvendam esse ut rite officio suo fungatur. Plerumque licet praesumere sufficientem cognitionem ad graviter peccandum adfuisse ubi de re objective gravi agitur, praesertim si is qui ita male egit habitualiter paratus est peccata mortalia admittere; contrarium vero praesumatur ubi res in se levis est vel poenitens habitualiter grave peccatum abhorret. Facilius etiam praesumi possunt leviter peccasse pueri et rudes: quippe qui parum attendant ad gravem obligationem inquirendi. Hoc sensu forsitan explicari possunt AA. qui dicunt gravitatem peccati metiendam esse e gravitate vel levitate objectiva. Cfr. S. Alph. l. 1. n. 23.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

55. NOTIO. Conscientia *scrupulosa* dupliciter sumi solet. Interdum significat dictamen rationis actuale e scrupulis formatum, quo sensu idem est ac conscientia erronea. Saepius designat conscientiam habitualiter scrupulis obnoxiam, quam ita definit S Alph. (n. 11): "Est ea quae ob levia motiva, absque rationabili causa seu fundamento, saepe formidat de peccato ubi revera non adest." Complectitur autem tum antecedentem, tum consequentem conscientiam, sicut et ipse scrupulus anxietatem injicit tum de actibus ponendis, tum de actibus jam positis.

Scrupulus ipse est "inanis apprehensio et hinc ortus timor et anxietas, alicubi esse peccatum ubi non est." (Busemb.)

Probe distinguenda est conscientia scrupulosa a dubia, in qua non adest illa anxietas scrupulorum propria; multo magis a conscientia timorata quae, ex amore filiali, ab omni peccato et peccati periculo recedit.

56. EFFECTUS scrupulorum.

Scrupuli, sicut quaelibet tentatio, per se in nocendum hominis tendunt. Attamen, si rite iis resistimus, conferunt nobis plurimas utilitates, quarum intuitu a Deo permittuntur. Ideo quo efficacius scrupulosi

stimulentur ad hanc suam probationem fideliter patiendam, juvat prae oculis habere tum utilitates, tum damna e scrupulis oriunda. Haec enumerat La Croix (Theol. Mor. l. 1. n. 513), qui de toto hoc argumento consuli meretur.

Utiles sunt scrupuli:

1° Ad conscientiam a minimis delictis emundandam.

2° Ut homo magis sollicitè minimos defectus caveat et omnia ad Deum dirigat.

3° Ad humiliationem internam, propter necessitatem se totum alterius directioni tradendi.

4° Ut melius et suavius alios in conscientiae anxietatibus dirigat.

5° Ad ampliora merita acquirenda per acerbos cruciatus internos quos propter Dei amorem patitur.

Nocent vero scrupuli, praesertim quando scrupulosi in suo iudicio pertinaces sunt:

1° Corpori eujus valetudinem pessumdant; imo saepe caput ita debilitant ut scrupulosi in amentiam incidant.

2° Animae, et multipliciter quidem. Nam inanibus cogitationibus tempus teritur; seria cura profectus spiritualis negligitur; homo fit saepe ineptus laboribus quibus plurimam utilitatem proximo conferre posset; imo etiam quandoque, teste S. Alph. (n. 13), adeo desperat de animae suae salute ut vel mortem sibi inferat vel habenas vitiis omnibus laxet.

57. SIGNA conscientiae scrupulosae.

Sedulo cavendum est confessario ne tamquam scrupulosum tractet eum qui, sancto timore Dei plenus, levissima delicta vitare et expiare cupit. Nam, si hoc falsum criterium adhiberetur, omnes Sancti fuissent scrupulosi.

Ut autem accurate discernantur qui vere scrupulosi sunt, investigetur num in iis verificentur omnia quae in definitione supra allata (n. 55) continentur. Praesertim non confundatur aliqua transitoria anxietas cum habituali, vel conscientia timorata cum scrupulosa.

Recensentur etiam a La Croix (l. c. n. 511) varia signa *specialia*, quorum praecipua sunt: pertinacia iudicii qua nullius, etiam docti, sententiae acquiescunt, sed ab uno ad alium confessarium currunt; frequens mutatio in iudiciis ex levi apparentia; timere in omnibus peccatum.

Scrupulosi interdum a prima confessione facile agnoscuntur; interdum res dubia confessario, etiam prudenti, manebit. Is poterit, in eo casu, interrogare poenitentem quomodo a confessario suo ordinario iudicari et tractari soleat, et illius iudicio stare.

Saepe reperies homines qui in uno alterove argumento scrupulosi sunt, ex. gr. circa Horarum recitationem, in reliquis vero nimis laxi. Hi ergo partim ut scrupulosi, partim ut laxi tractandi sunt.

58. REGULAE pro scrupulosis.

1^o Licet scrupulosis agere contra scrupulum suum, dummodo illum tamquam inanem apprehensionem contemnant.

Ratio est, quod illa inani apprehensione non tollitur iudicium practicum prius efformatum ex confessarii iudicio vel alio modo. "Nec opus est ut in quolibet particulari actu hoc iudicium efformet, nempe quod scrupulos contemnere debeat ex praecepto confessarii; satis enim est quod, ex iudicio prius formato, contra scrupulum agat; quia, propter experientiam praeteritam, in ejus conscientia iudicium illud virtualiter seu habitualiter existit, licet tenebris obscuratum." (S. Alph. n. 19)

2^o Potest interdum esse gravis obligatio agendi contra scrupulos propter plurima damna quae timenda sint si quis iis cedere pergat. (S. Alph. n. 17) Cautè tamen dispiciat confessarius ne, hanc obligationem proponens, scrupulosum potius turbet quam adjuvet.

3^o Uti possunt iis quae AA. vocant scrupulosorum privilegia. Haec ita recenset Busemb. (De Consc. c. 3. resp. 4): "1. Quod non teneantur in agendo adhibere examen et diligentiam nisi valde medioerem, nec tantam, quantam alii et quod, dum angit scrupulus nec suppedit consilium, possint libere agere quod volunt, nisi certum et evidens sit esse peccatum. 2. Quod nihil teneantur repetere ex praeteritis confessionibus, nisi certo sciant illud esse mortale et se rite confessos non esse. Non est autem certus scrupulosus quamdiu dubitat (intellege etiam levi dubio). Ratio utriusque privilegii est: quia in scrupuloso, ex nimio timore peccandi, turbatur ratio, ita ut non possit recte rem examinare. Unde, esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur tamen, cum tanto damno et periculo anxietatis perpetuae, procurare integritatem confessionis, cum ab ea minores saepe difficultates excusent."

59. REMEDIA scrupulosorum.

1^o Omnium praecipuum est ut scrupulosus humiliter iudicio confessarii sui acquiescat eique integram oboedientiam praestet. Quare summopere cavere debet ne alios confessarios consulat vel etiam ad eundem saepius recurrat.

2^o Otium vitet scrupulosus: nam labore constanti aditus inanibus cogitationibus praecludetur.

3^o Scrupulorum causam tollat, quatenus haec ab ejus libera voluntate pendet: qualis esset lectio librorum asceticorum nimiae severitatis in obligationibus inculcandis, consortium cum scrupulosis, ignorantia ex. gr. circa materiam sexti et noni praecepti de qua discrete interroget confessarium, etc. Si penitus tolli nequit causa, conetur tamen eam minuere. Ita qui pertinax est in proprio iudicio, ut non raro inter

doctiores contingit, fortiter in caecam oboedientiam incumbat; qui propter melancholiam in scrupulos propendet, honestis quibusdam recreationibus atram bilem temperet.

4^o Magno animo contra scrupulos agat, eos contemnendo et anxias cogitationes, tamquam pravas et nocivas, repellendo.

60. REGULAE pro confessario scrupulosorum. Cfr. La Croix, l. c. n. 527 seqq.

1^o Diligenter causam scrupulorum investiget ut remedia singulis aptiora proponere valeat.

2^o Generatim mitem erga scrupulosos se praebeat, ne dolor addatur afflicto; quandoque tamen juvabit major severitas, nempe si qui se pertinaces exhibeant.

3^o In dubiis solvendis clare respondeat, nihil haesitans, nec generatim addat rationes quae novam scrupulis causam praeberent. Attamen si quando advertit causam scrupulorum esse ignorantiam, ne omittat poenitentes, praesertim ingenio praestantiores, docere.

4^o Ne patiat sibi proponi quoscumque scrupulos vel dubia, sed quando moraliter certus est nihil nisi scrupulum allatum iri, dimittat ad communionem, etiam non auditum. "Quia hae interrogationes et frequentes recursus ad confessarium sunt veluti frictio scabiei, quae quidem placet, sed nocet." (La Croix, l. c. n. 531) Nec permittat repetere confessiones vel dubia, maxime si semel ad satietatem audiverit, "quia alioquin numquam fontem scrupulorum exhauriet." (Busemb. l. c.) Igitur quando confessario persuasum erit scrupulosum numquam perventurum esse ad veram certitudinem de peccato vitae praeteritae nondum clavis subjecto, utiliter eum jubebit nihil in specie accusare de tempore ante ultimam confessionem elapso, dubia autem recentia generali ratione tantum accusare, addendo: "quatenus in his Deum offendere potui." Cum scrupuloso qui semper anxius est de praeteritis confessionibus censet S. Alph. (n. 16) expedire ut confessarius ei imponat "ne amplius cogitet de culpis praeteritis, nec de iis verbum faciat in confessione nisi jurare possit certo peccata illa mortalia perpetrasse et insuper numquam de illis confessum esse." Attamen discrete hoc medio utendum puto ne forte juramenta emittant quae novam materiam scrupulis praebeant.

5^o Poterit scrupulosis prohibere quod numquam aliis poenitentibus rationabiliter prohibebit: ne ad alium confessarium accedant. Ratio patet ex dictis n. 59, 1^o.